EXUL VATES
Et
PRODOMOORATOR
Semel mortui, bis sepulti
Nempe
In tumulo, & hominum oblivione,
Per Literatissimos Sarmatas, Ovidianum Mausolæum eruderantes, Ciceronisq; pro Republica reperientes Volumina, ad vitam famæ revocati,
Demùm
Ab Illustrissima, Perillustri, Magnifica, ac Prænobili Iuventute Academiæ Vilnensis Societatis IESU
Sub
Sextile Musarum exilium
Erudito Orbi
REPRODUCTI
Anno
Exulis in Patria DEI-Hominis
1715.
Kalendis Augusti.

FUNDAMENTUM.

QUàm Armorum, tam literarum sublimi studio prælustris Heros, ac in utraq; arena Triumphator IOANNES ZAMOYSCIUS, Regni Archi-Cancellarius, dein Dux Exercitûs victoriosissimus, MOHIŁAM Valachiæ Principem suâ Dictaturâ exutum pristino gubernio restituere aggressus, non minore bellicæ Fortunæ favore, quàm animi sui excelsitate, hoc opus heroicum consummavit. Verùm dum Principem MOHIŁAM (ex etymo nominis sepulchralem aggerem) vitæ civili, quia amisso Honori restituit, in sepulchrum Ovidij quindecim propè sæculis Orbi incognitum, faustissimè incidit, ac in Bibliotheca Ducali libros Ciceronis pro Republica ad Atticum exaratos aureis characteribus reperit: sic utriusq; svadæ Thesauro potitus, eum erudito Orbi eruderavit. Dum enim sylvas maritimæ Valachiæ lustrant ZAMOYSCIANI Commilitones, in amæna valle monumentum tumulati ibidem exulantis Ovidij offendunt, ac sepulchro hoc inaratum Epitaphium deprehendunt:

Hic situs est Vates, quem Divi Cæsaris ira
Augusti, Latia cedere jussit humo.
Sæpe miser voluit Patrijs occumbere terris,
Sed frustra! hunc illi fata dedêre locum.

Nempe princeps hæc fuit sors Polonorum, & exulantes Principes in Patriam triumphaliter remeâsse, & exulantis Elegiacorum Principis Vatum exuvias, ac Mausolæum Orbi detexisse. *Pauli Piasecctj Chronica gestorum in Polonia. Annales P.* KWIATKIEWICZ *ad Annum* 1581.

PROLOGUS.

LEchia & Palæmonia exulum refugium, multa exulantium, & in sinu suo quiescentium Heroum demonstrant Mausolæa. Sarmatia igitur indigitat Lechi, Palæmonia sui Palæmonis, (a) Iuliani, Dor sprungi, Cæsarini, Ursini, Hectoris, Rosirij: qui Neronis crudelitatem, Attilævè clades vitaturi, è fortunarum naufragio vitam & capita huc usq; extulerunt. Et ubi inter lugubres lessos auro notant Posteritati illorum nomina; è diametro Fama, ex aureo Romanæ Aquilæ rostro auream recipiens pennam, & lauream, Lauream ZAMOYSCIANI Genij imponens capiti, locò Clavæ, cancellariæ pennæ, auream addit pennam, locò Senatorij subsellij, ignotum quoddam monstrans Mausolæum, rostra Oratorum eum conscendere jubet.

A ACTUS

(a) P. KOIAŁOWICZ parte ıma lib. ado.

ACTUS PRIMUS.

SCENA I. IOANNES ZAMOYSCIUS in Valachia peracto prælio, ubi rebellia, MOHIŁAM Palatinum suum expellentia compescuit Capita, præsente Technæo Competitore Palatinatûs Valachiæ, antiqvum Dictaturæ suæ intendit restituere Palatinum.

SCENA II. Appromissâ Dictaturâ MOHIŁÆ, procedit cum ipso ad lustrandum prælij campum: ibi inter triumphales è vexillis capitibusq; rebellium colossos, Aulicorum applausus, ludicra Cozacorum choragia, cernit è proximo tumulo lauri prominens arbustum, sequentibus inscriptum: *Virgam Colurnam tenes:* tumulo verò. *Mutes Cupressum funeris, laurum feres.* Deinde revoluto eo, reperit aureum signatorium annulum; & auro thesauri sui hoc addens aurum, advertit calamum ac quinquies VVVVV, per modum semi-trium Habdankorum in annulo exarata, cum addito versu: *Ignotus Exul, & aureæ pennæ Sator à te revolvar.* Itaq; exciso arbusto unà cum annulo, tradit Apollino Cancellariæ suæ Præfecto.

SCENA III. Technæus prima adhuc installatione MOHIŁÆ, à Dictatura repulsus, in ZAMOYSCIUM & MOHIŁAM magis exardescens odio, confidens vicinis Valachiæ Turcis (quos pridem literis suis instruxit ut sub pallio amicæ legationis, imposito priùs MOHIŁÆ coram ZAMOYSCIO proditionis scelere, Technæum ad Dictaturam promoveant, & irretitum dolis ejus in posterum ZAMOYSCIUM, locò præmij in prædam obtineant) multa Victoribus Polonis minatur mala: MOHIŁÆ autem, ipse primò procedens ad ZAMOYSCIUM, proditoris imponit scelus.

SCENA IV. Apollinus Laureæ, Annuli, & tumuli perplexam inscriptionem revolvere fatagens, consulit Technæum. Technæus accepto annulo & Laurea adit magos in propinquis antris latitantes, sed locò explicationis ipsi sibi recipit vaticinium: *Dum auro os armabis, vitam sepulchro dabis.*

SCENA V. Quærens Technæum Apollinus, descendit ad Palatium, ac incidit in ZAMOYSCIUM anxiè illa revolventem lemmata, Ponticumq; Pöëtam volventem: sed videns consternatum Principem, dubius & ipse, illud: *Mutes Cupressum funeris, laurum feres:* dicit jam esse impletum, dum fatales quondam Polonis Cupressus, illas Valachici (b) stratagematis arbores, in laurum sibi & coronam victoriæ nexuit. Alterum verò: *Ignotus exul & aureæ pennæ Sator &c.* applicat Nomini ejus, quòd IOANNES, in cancellaria penna IOANNEM Damascenum dictum Chrysoloras *aurei calami*; in oris facundia IOANNEM CHRYSOSTOMUM *aurei Oris* adæquare potest. At magis intentus revolutioni ZAMOYSCIUS, expedito Apollino obdormiscit.

SCENA VI. Sopitus ZAMOYSCIUS, cernit & audit ab una parte Ponticum Pöëtam pulsantem Cytharam, ac Victorias ZAMOYSCIANAS de Maximiliano Cæsare, Tartaris, Hungaris, Valachis decantantem, addito Epiphonemate: *à Ponte audient de Ponto:* ex altera parte intuetur hastatam Palladem, inter varia Sapientiæ insignia ZAMOYSCIANI Stemmatis affixa Hastis, præcinentem ejus in Academias Fundatricem liberalitatem, sapientissima Reipublicæ consilia, legationes: similiter verborum finientem perplexitate: *Sublatam puncturis evolvent puncturæ Atticam apem.*

SCENA VII. Redeunte à somno ZAMOYSCIO, & nova involuta perpendente dicta, supervenit aula & Technæus; quo animadverso IOANNES meminit illa fictæ fidelitatis verba; ac vi detecti doli gratus ZAMOYSCIUS præter omnium spem & opinionem, Dictaturam Valachiæ promittit Technæo.

INTERLUDIUM.

CHORUS PRIMUS.

SArmatico-Palæmonia Iuventus dum intuetur Oratorum rostra Heliconemq; Pöëtarum, cernit plures, à *Fortuna* illud Petrarchæ accinente: *magnum gloriæ instrumentum Eloquentia*, transferri è rostris & Helicone ad thronos, à calamis ad sceptra, à laureis ad Coronas: se deniq; Sarmatico Palæmoniam Iuventutem ab eadem Fortuna, primò ad elicitas ungulâ Pegasi Hypocrenas, & rostra Rhetorum, dein ad fastigia honorum audit animari.

ACTUS

(b) Hoc stratagema contigit in Valachia, cùm Poloni promulgaturi STEPHANUM in Palatinum ejusdem venirent. Superanda erat Polonis, Valachiam ingressuris sylva densa, quam PETRUS frater STEPHANI cum suis insedit, arbores succidit ita, ut truncis tamen adhærerent. Ubi Poloni indaginem illam ingressi, Valachi arbores succisas vi impellunt, & obruunt. CROMER; lib: 12.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I. Technæus securus appromissæ dignitatis, auscultante quodam ex Aulicis, certiores in Polonos & ZAMOYSCIUM jactat minas, putans jam suos dolos securissimè ad effectum se deducturum. Ideoq; sciens ZAMOYSCIUM in cancellaria sua Gemma librorum Achatem esse, ascendit Bibliothecam, & ut olim Belgicum illum Senatorem *(c)* Grotium, scrinium seu portatilis Bibliotheca fecit liberum, sic ille intendit ZAMOYSCIUM habere captivum. Parat enim capiendo ZAMOYSCIO loculum, an cistam in formam tumbæ factam, ibiq; imponit libros; quos si lustraret ZAMOYSCIUS, arte intrusus, manibus hostium tacitè extraderetur. Ne verò Competitor ejus MOHIŁA, antequam ipse ascenderet ad honorem, aliquid coram ZAMOYSCIO machinaretur, scriptas nomine ejus proditorias literas, accepto ab Apollino annulo obsignat, conando etiam Apollinum huic fictæ Mohilianæ inserere factioni.

SCENA II. His peractis Technæus, dum Regiam petit, videt obviam sibi progredientes Turcas, & jam bene pridem instructos, ducit ad ZAMOYSCIUM; hi in vim affectûs offerendo Africanos Leones, Asiaticos Elephantes, Tygrides; promovent ob certam rationem (quam manifestandam privatè appromittunt) Technæum ad Dictaturam Valachiæ. Sed fortuitò Turcæ amittunt librum, cui Technæi inclusæ erant literæ. MOHIŁA ignarus fraudium Technæi, librum illum amissum de terra tollit, inclusasq; illic legit literas.

SCENA III. ZAMOYSCIUS ob privatam audientiam legatis dandam, recedere jubet aulam. MOHIŁA recedens, ostendit Apollino literas, & de infidelitate Technæi, auscultante eodem à longè, colloqvuntur.

SCENA IV. Technæus suum apertum agnoscens dolum, mox novâ utitur fraude; adit ZAMOYSCIUM, accusat MOHIŁAM tanquam calumniatorem suum, qui cum Apollino inivere consilium, & proditorias ipsi calumniosè imponunt literas: hinc invocando in testes ipsos Turcas, Mohilianas fictas à se ostendit literas, in quibus ut primò Turcis, sic modò vicinis Hungaris prodit ZAMOYSCIUM.

SCENA V. Auditâ causâ ZAMOYSCIUS, reflectens se supra insperatam à Turcis Technæi promotionem, suspicione motus, extra limites legatos cedere jubet: Ipsi confisi Technæi dolis, quantociùs cedunt. Vocat interim ZAMOYSCIUS MOHIŁAM, & receptis ab ipso inventis literis, in utramq; partem dubius propendet. Magis tamen ex impia commendatione Technæi, reum proditionis MOHIŁAM augurans, addicit eum carceri: & certè incarceraretur, nisi ille liber, cui inclusæ erant literæ, liberum efficeret MOHIŁAM.

SCENA VI. MOHIŁA adjudicatus carceri cuidam perito Turcici characteris tradit librum, hic reperit diarium esse, quod scriptorum nomina, diem, & materiam literarum designabat, ubi inter cætera, Technæi etiam deprehendit nomen, & proditorias Machinationes. Sic ab una liber calumnia MOHIŁA, aliam etiam quo ad literas Hungaris missas diluere cupit. Sed & illic testante Apollino, nondum à Technæo receptum esse annulum, (quo tamen dixit obsignâsse Apollinum) patuit falsitas. Proinde Apollinus recipit annulum; ZAMOYSCIUS verò mutato affectu, Technæum adjudicat carceri, MOHIŁAM Dictatorem decernit Valachiæ.

SCENA VII. MOHIŁA installatur Valachiæ Princeps: ZAMOYSCIUS inter gratulatorios applausus laureati tumuli lemma: *Mutes Cupressum funeris, laurum feres,* putat jam adimpleri, cùm MOHIŁAM ex etymo Nominis sepulchralem an funerum aggerem, honoris decoret laureâ.

INTERLVDIVM.

CHORUS SECUNDUS.

INvida *Oblivione* evertente posteritati positos obeliscos, pyramides, Colossos, & *Auri fame* totos aureos satagente deprædari montes, Mercurius decollatum, jussu Flaviæ, Ciceronis caput, præcinens illud: Cant: 5. *caput aurum optimum,* auro scripto libro ejus imponit, contra *Auri famem* opponens Periclis Eloquentiæ fulmen, Nestoris gladium, Herculis Gallicani de ore profluentia vincula: sic armato capite, *Auri famem* pellit Mercurius. Apollo non permittens *Oblivioni* Ovidianum evertere Mausolæum, sonitu cytharæ excitat Poëtarum de tumulis Protectores: producit Horatij Mecænatem, Homeri Alexandrum, Claudiani Honorium, Virgilij Æneam, reprimitq; *Oblivionem:* & ubi ambo, supervenientem præeunte *Famâ* advertunt Zamoyscianum Genium, unus Ciceroniani aurei Capitis, aureos characteres; alter Ovidij commendat Mausolæum.

(c) *Grotius Senator Belgicus ob suspicionem perduellionis carceri mancipatus, obtinuit ab excubiarum Præside, ut liceret scrinium, seu portatilem deferri Bibliothecam, cui se tandem inclusit & à famulitio elatus.* BEIERLINCK tit. *Carcer.*

ACTUS TERTIUS.

SCENA I. MOHIŁA jam Valachiæ Princeps, literatissimum Cancellarium invitat ad lustrandam sui Principatûs Bibliothecam; Aulicus auscultator technarum Technæi, ostendit ZAMOYSCIO cistam instar tumuli efformatam, cui, dolo Technæi, inclusus ad manus Turcarum pervenisset.

SCENA II. ZAMOYSCIUS timens ulteriores fraudes, tam contra MOHIŁAM, quàm totum Valachiæ Principatum, exnunc vocato è carcere Technæo, profert justissimum in proditorem decretum, ut eidem inclusus tumulo suffocetur.

SCENA III. Technæus antequam imponeretur tumulo, casu dimittit è sinu nondum redditam Apollino lauream. Apollinus memor calumniæ suæ, eodem aureo annulo mendax Technæi os deprimit: sic novus Ephestion Technæus suum ingeminans expletum vaticinium: *dum auro os armabis vitam sepulchrò dabis*, includitur, & cadit in foveam quam fecit. Tollens interim de tumulo Apollinus amissam lauream, certè (*d*) *columnam* eam esse ostentatricem auri profitetur *virgam*, nam unà cum ipsa auro exarata Ciceronis pro Republica ad Atticum reperit volumina.

SCENA IV. ZAMOYSCIUS sciens quondam Ciceronem à Clodio exulem fuisse, & cernens aureo exaratum calamo, illas annuli clarè intelligit perplexitates: *Ignotus Exul, & aureæ pennæ sator à te revolvar.* Item Palladis prædictum: *Sublatam puncturis evolvent puncturæ Atticam apem*: sublatam enim à Flavia Augusta acicularum puncturis Ciceronis lingvam, ab aciculis quasi aculeatæ apis, à scriptis ad Atticum, Atticæ Apis suarum Lancearum puncturis, cernit posteritati in inventis voluminibus evolutam esse.

SCENA Ultima. Hæc perpendente ZAMOYSCIO, quidam Commilitonum advenientes, novam inter sylvas perplexitatum porrigunt revolutionem. Quo procedens simul cum MOHIŁA, pervenit ad Ovidianum Mausolæum: ac reflectens se supra annuli semi trium (*e*) Habdankorum exaratas notas, quindecim sæculis, exulis Ovidij sepulchrum devenit ignotum fuisse: tumuli etiam problema clariùs evolvit: *Mutes Cupressum funeris, laurum seres:* qui hucusq; sub umbra mortualis Cupressi, & oblivionis latentem, ad vigorem laureantis Famæ laureatum evehit Poëtam. Agnoscit & Pontici Poëtæ verificari omen; *à Ponte audient de Ponto:* id est ZAMOYSCIUS ex etymo cognominis referens Pontem, scriptori de Ponto famam dabit.

INTERLUDIUM.

EPILOGUS.

UT olim sibi Arthemisia Mausoli propinavit cineres, sic utraq; *Soluta & Ligata Eloquentia*, illa Rhetorum gemmæ, sub Antonio Imperatore redacti in cineres Ciceronis, hæc Phænicis Poëtarum, Sarmatico-Palæmoniæ Iuventuti propinant cineres, ut tandem de eis Polono Regno nascantur Phænices. *Honor* triumphali insidens currui Sarmaticâ Aquilâ tractus, insignia dignitatum, quasi in bustum ex eo nasciturìs præparat Phænicibus, demonstrans: (*f*) non aliter in splendorem gloriosæ vitæ ea accendenda, nisi pennis; non aliter nascituros Phænices, nisi ex verme, an tinea, juxta illud Demosthenis cuidam interroganti, qua arte Rhetor factus bonus? respondentis: *tinea librorum eram. Alex: ab Alex:* Hinc *Honor* similibus Phænicum tineis, ut quondam umbrosam *Ionæ c. 4.* arborem, sic ad umbram eruditæ laureæ promovendo, lauream emeritis in pabulum tradit.

(*d*) *Columnam virgam eam dicunt, quæ latent indigitat aurum.* (*e*) *Quinquies Ecclesiastico numero V. semi-tres Habdankos & decimum quintum designat numerum.* (*f*) *Phœnix alarum ventilatione accendit bustum suum, & ipse nascitur ex verme.*

Ad M. D. G. B. V. M. S. L. O. C. Honorem, Divi IGNATIJ Studiorum Restauratoris Venerationem.

